

Alte Drucke

**Carmen Elegiacum || DE GLORIOSA || RESVRRECTIONE ||
ET HEROICO TRIVM=||PHO FILII DEI VICTORIS || ET
REDEMPTORIS NOSTRI, || In gratiam || ...**

Wethmann, Joachim

Lipsiae, 1571

VD16 ZV 30576

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149058

2
Carmen Elegiacum
DE GLORIOSA
RESURRECTIONE
ET HEROICO TRIVM.

PHO FILII DEI VICTORIS
ET REDEMPTORIS NOSTRI,

In gratiam

Illustrissimorum Principum
ac Dominorum, Domini GEORGII,
ALBERTI & STANISLAI
RADZVILORVM, Ducum
Lithuaniae in Olike & Niesz-
uuiesch, &c.

Scriptum à

Joachimo Isatiandro Laurano.



L I P S I Æ
Iohannes Rhamba imprimebat
1571.

1. Corinth. 15.



κατεπόθη ὁ θάνατος ὡς νίκη. πᾶς οὖν
θάνατος τὸ κέντρον· πᾶς οὖν
ἄδῃ τὸ νίκος·

ILLVSTRISSIMIS
PRINCIPIBVS AC DOMI-
NIS, DOMINO GEORGIO, ALBERTO
ET STANISLAO RADZVVIL, DVCIBVS
Lithuaniae in Olika & Nieszpiefch, &c.
Dominis suis Clementissimis.



*L*lustriori stemmate,
Stirps & propago, Principes,
Qui tecta Elistrinae Scholae
Lustratis hic tam splendida.

*Cultas ut artes sedulo
Discatis à Doctores
Dum linquitis Lithuaniae
Fines, & arcem splendidam.*

*Nam quid magis hanc indolem
Ornare posset nobilem,
Quam quod disertis artibus
Et sitis aucti moribus.*

*Ut fonte tanquam limido
Est qui DEVS manat decor,
Et gloriae summum bonum
Cum ceteris virtutibus.*

*Sic eminet praeceteris
Ex stirpe uestra nobili
Ac ex decoro Principum
Splendore, virtus inclita.*

A 2

Et phos.

Et phosphorus ceu sidera
Inter micat fulgentia
Sic Principes & nobiles
Sint subditorum lumina.

Respublicas demum fore
Faustas, refert magnus Plato
Tunc cum fideles imperant
Qui literis pollent Duces.

Sic indidit summus DEVS
Ardentiores mentibus
Heroicis hos impetus
Virtutis omni tempore.

Ergò meas nunc dedico
Vultu Camœnas candido
Vobis, (patroni Principes)
Hæ sint licet non arduæ.

Faxit DEVS ter maximus,
Vt uestra mens & indoles.
Imbuta summis artibus
Corroboretur indies.

V.

C.

Humiliter deditus

Ioachimus Isatiander.

DE RESURRE
CTIONE DOMINI NO
STRI IESV CHRISTI.

TEmpus erat quo tristis hyems & frigora brumæ
Aspera, discedunt & glaciale gelu.
Riphaeq, nives Zephyro spirante liquecunt *Horatig:*
Montibus apricis, vallibus inq, cauis. *Sithenia nive.*
Et glacies Solis radijs concreta tepescit,
Solvitur hinc in aquam, quæ fuit humor aquæ.
Mollia purpurei redeunt cum tempora Veris,
Cum turget tellus germine fœta nouo.
Et iam Phryxæam pecudem Sol lustrat in axe,
Et notat annali tempora certa gradu.
Qui duodena suis transiit signa quadrigis,
Et radios cursu iam propiore notat.
Noctes atq, dies aequali tramite librans,
Hinc crescente die nox fit & inde brevis.
Mensis & Aprilis gelidis spirantibus Euris
Producit pluuias nubibus imbriferis.
Paschatos assignans nobis solabile festum
Cornigeri signum Sole tenente bouis.
Tempore quo sicca telluris germina vernant,
Et fert umbrosas arbor opaca comas.
Hinc sata florescunt aruis & gramina pratis,
Astrigerumq, DEVM plantula quæq, notat.
Ergo dies patribus Stygijs sperata lacunis
Salve, dulcisonis non reticenda modis.
Que nobis CHRISTI res gestas atq, triumphum,
Monstras, aurora concomitante rotis.

Si mihi Nasonis manarent versibus ora,
 Vel mihi Castalia vena daretur aqua.
 Aut mihi grandinosum dictaret carmen Homerus
 Insignis vates, grandiloquusq; Maro.
 Non tamen eloquerer laudes dulcesq; Camænas
 Vocibus harmonicis, concelebranda dies.
 Vel mihi sacrorum vires & numina Vatum,
 Hos inspirassent dexteritate sonos.
 Ut superem quoq; Stigelium vatemq; Sabinum,
 Hæsum, Lotichium, consimilesq; viros.
 Ac hos qui iam sunt redimiti tempora lauro,
 Attamen haud possem te celebrare satis.
 Quamuis est reliquis sua laus tribuenda diebus,
 Vtpote natali non deroganda minus.
 Ac huic qua rutili Gabriel descendit Olympo,
 Casta tibi virgo nuncia lata ferens.
 Deniq; tuti isthæc mæstis memoranda Camænis,
 In cruce qua CHRISTVS uulnera quina tulit.
 Hac genus humanum reuocat de carcere mortis,
 Heu propter uetita poma resecta manus.
 Hac equidem me contristat cum funera CHRISTI
 Premeditor, recinens vincula, sputa, crucem.
 Exhilarat siquidem rursus lux inclyta mundum,
 Qua CHRISTVS domita morte trophæa tulit.
 Hac uicit Satanam nemo quo fortior hostis,
 Ergo dies nullus lætior esse potest.
 Quandoquidem uinctos trahit ex Acheronte parentes,
 Vates atq; Patres, decrepitosq; senes.
 Hac nobis sacri parta est victoria regni,
 Spes, via iustitiæ, gratia, vita, salus.

Mors

Mors & vita graui dum conflixere duello,
Tunc dux Orcifragus pansa sigilla tulit.
Sic ubi rorantes aurora relaxat habenas
Quadrigris roseis, exoriente die.
Cum Phœbus radios ignitos spargit in axe,
Contremuit tellus pondere mora suo.
Membraq; fundorum tumulis composita resurgunt,
Quæ Solymæ multis uisa fuere locis.
Angelus ecce DEI supera descendit ab aula,
Vestibus in niueis lintea sparsa tulit.
Talibus alloquitur Matronas expauesctas
Astantes tumulo; ponite corde metum.
Et mentes letas hilaresq; resumite uultus,
Lucida nam quem nunc quæritis, astra tener.
Surrexit ueluti uobis esset ante locutus,
Hic inquam tumulum cernitis atq; locum.
Quo iacuit uerè pario cum marmore clausus,
Iamq; Galilæa conspiciendus humo.
Ite igitur celeres socijs narrate Petroq;
Abolita siquidem morte triumphat ouans.
Hinc facies mundi uernantis testificatur:
Hoc quod sunt nobis omnia parca die.
Pennigerarum etiã plaudit genus omne volucrum,
Arguto ruginens gutture dulce melos.
Et tu quæ cantu superas Philomela volucres,
Tempore nunc uerno nocte dieq; canis.
Argutis cannis carmen modularis & odas,
Applaudens CHRISTO qui redit è tumulo.
Quæq; viatores cantu permulcet alauda
Victori dulces pangit amica sonos.

Per

Per sata per campos volitans per prata per agros,
Aëra dulcisonis complet ubiq; modis.

Exoriente die modulatur donec in vndas
Se condit Phœbus, nocte ruente tacet.

Garrula quæ lacubus latuit iam prodit hirundo,
Et trinsat luteam cum struit arte domum.

Et volucris longis aduentat noxia rostro

Cicoria.

+ e. Anguibus, & nidum glotorat inde struens.

Hinc viduus raucos gemitus dat Turtur ab ulmo,
Amisssam sociam queritat atq; gemit.

Fronde super patulæ fagi rauciq; palumbes

Nidificant, laudant munificumq; DEVM.

Arboris exese cuculus tunc prodit ab antro,

Quo latuit donec frigore transit hyems.

Quamuis ingratus curruca dicitur esse,

Dum petit hanc rostro mordicus atq; rapit.

Attamen hic cuculat nitida sub tegmine frondis

Donec eant celeri tempora verna gradu.

Sic reliquæ volucres concentibus aëra mulcent,

In densis siluis continuantq; sonos.

Quas non exiguo possum describere versu,

Quæq; creatori dant per inane melos.

Pœonias herbas memorem quid gramina campi?

Quid sata, quid flores, quid fruticumq; comas?

Quamuis testetur sua gaudia qualibet arbor,

Cum profert gemmas, & sua recta nemus?

Non opus est igitur prolixis scribere verbis,

Cum referat quævis herbula nata DEVM.

Quapropter iuvenes patulis spaciantur in hortis,

Vt noscant herbas quas medicina probat.

Decer-

Decerpantq; manu viridi tellure resectas,
Et mirentur opus concelebrentq; D E I.
Nonne Chelidonium verno quod tempore crescit,
Artificis summi facta stupenda notat?
Garrula nam nidum quando suspendit hirundo
In tignis, floret, uimq; refertq; suam.
Quodq; magis mirum pullis qui luce carebant,
Hac herba uisum restituitq; fouet.
Ruta uirens crescit texendis apta coronis,
Ac abigit colubros illius acris odor.
Hinc Marathron crescit, uocat ut hoc lingua Pelasga,
Et uiridis putrida surculus exit humo.
Vritur hac planta coluber contortus & aspis,
Illius ut reddat lumina clara sapor.
Constat & hinc oculis humanis posse mederi,
Hanc herbam, ueluti uis manifesta probat.
Innumerabilibus siquidem quis laudibus herbas,
Quæ nunc succrescunt commemorare queat?
Siue Dioscorides is sit doctusue Galenus,
Siue Machaonias applicet ipse manus.
Non tamen herbarum posset describere laudes,
Seu ~~Stagira~~ tuus culta sit ille sophus? *Aristoteles*
Omnes quæ magnas præbent nunc tempore vires,
Et crescunt paschæ cum redit ampla dies.
Nam dum uernat humus violis decorata puellæ
Decerpunt flores dum spaciantur agris.
Fragrantes possint ut noctere sæpe coronas,
Et celebrent summi facta stupenda D E I.
Quodlibet & genus insecti nunc prodit in auras
E latebris, tandem Sole micante, suis.

B

Hæc

Inuento

*3936 ab initio
Iulii*

Hæc siquidem pariter testantur cuncta creata,
Depromuntq; suo iubila læta Duci.
Idcirco caussas referam celebremq; triumphum,
Lucida cur Christus tollit ad astra caput.
Ergo Nate D E I qui terna luce resurgis,
Flamine cum sancto sis mihi præsto tuo.
Quo sine uox hæret stupido compressa palato,
Et duce quo præsto carmina nostra fluunt.
Ob nostram siquidem pateris mala multa salutem,
Vt genus humanum cum patre concilies.
Quod propter lapsum Strygias migrasset in undas,
Nec dubio posset tendere ad astra gradu.
Nam cum triginta fuerant hæc secla peracta,
Adjice deinde nouem, sex quoq; lustra simul.
Induis humanam carnali corpore massam,
Exq; Palæstina virgine natus homo.
Et post triginta reuoluti temporis annos,
In trabe suffixus passus es ipse necem.
In te deriuas iram moriendo parentis,
Lenis & hanc demum sufficiente lytro.
Et tunc marmorea tumba compositus in horto,
Post triduum uicta morte trophæa refers.
Eſt igitur tua Christe dies qua morte resurgis,
Præsidium contra tela cruenta necis.
Quandoquidem parca eſt nobis victoria regni,
Cum nigri calcas lurida terga Ducis.
Vt seruire tibi possimus tempus in omne,
Erepti Strygij fauce patente canis.
Et tecum supera semper viuamus in arce,
Te Duce qui nostro libera turba sumus.

Scimus

Scimus enim uerè scripturæ testificante,
Symbolon hoc nostram roborat atq; fidem.
Et ueluti concors hodierna Ecclesia luce,
Nitiitur harmonicis concelebratq; modis.
Quod corpus nostrum tumulo prodibit in auras,
Olim cum signum buccina clara dabit.
Quis dubitaret enim quamuis mens nostra reclamet,
Et ratio nunquam credere uera queat?
Non pubescentis mundi testantur apertè
Tempora, ver latum non probat illud opus?
Sic quoq; cum putridæ mandantur semina terra,
Nil nisi conspicitur semine nudus ager.
At postquam putris pluuiæ se gleba resoluit,
Et cum brumali frigore cessit hyems.
In latam segetem crescunt abscondita grana,
Ac mox in spicam crescit adulta Ceres.
Sic quoq; prodibunt ima tellure sepulta
Corpora, cum niuib; cesserit acre gelu.
Et ver æternum stabit florente corona,
Cum ueniet iudex Christus in axe patris.
Quod soboles autem uerè genuina parentis,
Surrexit tumulo Biblica scripta probant.
Nam se conspicuum decies socijsq; uidendum
Præbuit, ut Marci pagina sacra notat.
Magdalis inprimis verè conspexit I E S V M,
Hæc ex qua septem Dæmonas expulerat.
Quæ reliquis postquam socijs hæc uerba reuelat,
Credere non poterant dicta relata sibi.
Postea matronis tribus hic sua lumina præbet
Cernere, confortans tristia corda metu.

Et placidis verbis socias de mōre salutat,
 Sit dolor à vobis & procul ipse timor.
 Ite igitur celeres nec uos mora longa retardet,
 Fratribus atq; simul commemorate meis.
 Hic ego præcedam socios mea terga secutos,
 Ut præceptorem uiuere nunc uideant.
 Hinc illum uidit Petrus cognomine Cephas,
 Ut uerè Pauli verba diserta probant.
 Et quarto binis socijs Emaunta profectis,
 Apparet ueluti sit peregrinus homo.
 Et mox declarans sese dignoscitur ipsis,
 Fractura panis, qua prius usus erat.
 Quinto qui clausis foribus taciteq; latebant,
 Sese offert socijs corpore conspicuo.
 Præterea Thomæ cum lux octaua recessit,
 Extensa monstrat uulnera quina manu.
 Cum præceptorem reducem de morte negabat,
 Nec tandem dubitat stigmata fixa notans.
 Insuper exhibuit sese dum retia iactant
 In cimba, **CHRISTVS** quattuor his socijs.
 Sicut & affirmat Tharsensis epistola Pauli,
 Plus quam quingentis cernitur à socijs.
 Discipulis hinc vndenis in monte reuelat,
 Sese dum rutili tendit ad astra poli.
 Qui quadraginta lapsis ex mōre diebus,
 Versatus fuerat, cognitus in medio.
 Et tunc emittit socios per climata mundi,
 Ut resonent **V E R B I** dogmata uera sacri.
 Nam transmisit eis sacri spiramina flatus,
 Ipsorum linguam cor animumq; regens.

Qui

Qui quoq; nobiscum uersatur nosq; gubernat,
 In uera VERBI cognitione sacri.
 His igitur constat uerè post funera Christum
 Surrexisse uelut dicta citata probant.
 Hisq; refutatur dictis Iudaica turba,
 Quæ CHRISTVM tumulo non rediisse putat.
 Insuper & referunt animalcula bruta triumphum,
 Et Christi extensa gesta trophæa manu.
 Plinius ut doctus memorans miracula rerum,
 Describens volucres quadrupedumq; genus.
 Est inquit quadrupes Crocodilus nomine brutum,
 Ut notat octauo singula verba libro.
 Quod non dissimile est colubro uiridiq; lacerta,
 Crassum corpus habens amphibionq; uocat.
 Degit in Aegypto septemplex ostia Nili.
 Hic ubi fecundè pinguis rura rigant.
 Vnguibus armatum curuis squamosaq; terga
 Erigit haud possent tela ferire cutem.
 Spicula nec sentit nec acuta cuspide hastam,
 Nec gladios fixos sulfureosq; globos.
 Illius atq; aluius transuerso pungitur ictu,
 Quæcute præ reliqua vulnera læsa capit.
 Hinc quoq; Delphinus cum quo gerit acre duellum,
 Hostem qua statuens lædere parte queat.
 Mox se submergit fluuiio pinnisq; retortis,
 Quas gerit in dorso viscera tacta secat.
 Dicitur & lacrimans hominem cum conspicit illud,
 Et mox accessum fraude latente necat.
 Et quoq; sectantem fugit hoc, sequiturq; repente
 Illum qui celeri dat pede terga fugæ.

*Insidiatur & huic Crocodilo fortior hostis,
 Ichneutes formam bestia muris habens,
 De qua qui bellum cecinit ciuile disertè
 Lucanus Vates, Eusebiusq; refert.
 Sic etenim struit insidias & damna minatur
 Hosti dum stertit fauce patente cubans.
 Hinc imo ceno sese prouoluit & exit,
 Donec duretur Solè micante lutum.
 Mox penetrans fauces illius viscera rodens,
 Aluo disrupta tutus ab hoste uenit.
 Sic quoq; Tartareis Christus rediuius ab vndis,
 Demone contrito victor ad astra redit.
 Et vexilla gerit deuicta morte triumphans,
 Ac fauces fregit tristis Auerne tuas.
 Hinc mors absorpta est Stimulis orbata dolisq;
 Ne nobis vnquam uicta nocere queat.
 Sic quando exoritur permagnus in equore motus
 Nutantemq; quatit dira procella ratem.
 Deijciunt nautæ furibundo pectore Ionam,
 In mare quem cetus deuorat ore uorax.
 Et noctes tres atq; dies in ventre recumbit,
 Expuit hunc donec fauæ malesuada virum.
 Sic Christus iacuit latitans in viscere terræ,
 Donec terna redit Solè oriente dies.
 Deniq; nunc caussas repetam resonante Thalia,
 Scripturæ ueluti consona dicta probant.
 Quas impulsuas caussas (memorante Luthero)
 Continet harmonicis cantio leta modis.
 Christus enim vinclis mortis constringitur orco,
 Illicite propter mala resecta manus.*

Nam

Nullus enim mortem propria virtute ualebat
Vincere, stelligerum nec referare polum.
Qui clausus primi propter peccata parentis,
Ni nobis Christus monstraret ad astra viam.
Contudit hic mortem diuino robore fretus,
Et domuit Satanam, fortia colla terens.
Efficiens caussa hæc quod Christus morte reuixit,
Eſt ſolus verax & ſine fine DEV S.
Imo quem reuocat ſumma virtute ſepulcro,
Cum terno ſurgit Phœbus in axe die.
Illius & natus propria virtute reſurgens,
Æqualis patri uernus & ipſe DEV S.
A diuo Paulo prolixè commemoratur,
Finalis certo cauſſa citata loco.
Ergò non opus eſt hanc enarrare diſertè,
Eſt quamuis alijs tradita ſæpe locis.
Applicet idcirco ſibi tot benefacta fidelis,
Quæ nobis iſto ſunt reparata die.
Paſchalis celebrans feſtum ſolenne triumphi,
Lectio ceu plane nos hodierna monet.
In qua præſcribit Paulus normamq; modumq;
Hunc quo poſſimus concelebrare diem.
Vt ſordes noſtras expurgemusq; ſtuporem
Noſmet, fermentum quem vetus ille uocat.
Et poſthac toto nitamus pectore nauos,
Nec ſimus proni turpia facta ſequi.
Quin potius Chriſti veſtigia recta ſequamur
Soluentis ſummo debita lytra patri.
Et noua per totam ſumus conſperſio vitam,
Deniq; cœleſtis pars quotacunq; ſcholæ.

Dicit

Finis

Dicit enim Christus qui victima paschaꝝ nostrum
Oblatus nobis læta trophæa tulit.
Inclita fidere æ repeto nunc limina sedis,
Vt semper vobis hæc loca celsa parem.
Vtq; gubernetis cælesti sede recepti,
Cernentes vultu liberiore D E V M.
Vt uerò vitam nos traducamus honestam,
Prudenter Paulus uiuere quemq; iubet.
Et toto turpes caueamus pectore rixas
Nos decet hunc sanctum concelebrare diem.
Ad ritum siquidem celebrandi paschatis istum
Alludit quamuis res satis ampla probat.
Integer ut quondam macula quoq; purus ab omni,
Agnus de medio ducitur inde gregis.
Sic CHRISTVS summi soboles æterna parentis,
Ex hominum patiens raptus ut agna grege.
Integer & vitæ purus quoq; criminis expers,
Amofide ueluti sancta Thalia canit.
Obtestor uerè quod nostros ipse dolores,
Languoresq; graues in cruce spontè tulit.
Ipsam percussam, nostrorum quisq; putabat:
A Domino, & spretum multa pericla pati.
Sed uarias plagas & vulnera iustinet insons
In membris, propter crimina nostra, suis.
Et propter nostras sordes & turpia facta
Pertulit ærumnas & genus omne mali.
Horrendas proprio patitur quoq; corpore pœnas,
Vt nobis pacem det veniamq; reis.
Illius & propter transfixi uulneris ictus,
Nobis Pœonias applicat ipse manus.

Sicut

Sicut oues etenim nos nos seduxerat error,
 Quisquis igit dubiam per loca uasta uiam.
 Cunctorumq, D E V S sordes coniecit in illum,
 Quas patiens animo non renuente tulit.
 Probraq, cum passus uiciosæ & scommata lingue
 Oris non soluit labra decora sui.
 Instar ouis timide quæ iam deducta macello,
 Transfixa perfert vulnera tacta cute.
 Et ceu detonsus mutescit uellere prorsus
 Agnus mansuetus, nec pia balat ouis.
 Talia de Christo uerus qui dicitur agnus,
 Vates diuino protulit ore sacer.
 Et sic declinans Phæbus cum tendit in undas,
 Dissecta sentit vulnera pelle bidens.
 Sic crucis extensus Christus mactatur in ara,
 Sub finem mundi brachia tensa gerens.
 Incolumis quoq, tuta uelut Nilotica tellus,
 Cum primogenitis permanet absq, metu.
 Quorum conspersi fuerant cum sanguine postes,
 Dum genius feriens præterit ense minax.
 Sic nunquam poterit nobis mors saua nocere,
 Nec nos apprehendet Cerberus ore uorax.
 Agni paschalis tollentis crimina mundi,
 Intima si roseo corda cruore rubent.
 Ut verò liquidi conspersio sanguinis ista,
 Fasciculo hyssopi limina tuta notat.
 Sic quoq, purificant Christi (testante Iohanne)
 Sanguinea guttæ corda renata fide.

C

Ut ueru-

*Vt verubus carnes infigunt igneq̃ torrent,
Ac his ueseuntur lux sacra quando redit.
Sic agnoscamus diuini Numinis iram
Aduersus sordes, iudiciumq̃ D E I.
Torrebat siquidem uehemens hæc ira parentis
Christum dum perfert in cruce probra necis.
Vt manducatur paschalis & integer agnus,
Integra sic maneant puraq̃ VERBA DEI.
Acris ut hinc agni lactuca adhibetur in usu
Dum celebrat paschæ gens recutita diem.
Infermentatus panis uelutiq̃ repõstus
Paschalis capiunt dum modo fercla cibi.
Sic animis nostris insit contritio uera,
Seriùs atq̃ dolor conscius atq̃ pauor.
Et deploremus commissæ crimina culpæ,
Fermentumq̃ uetus sit procul atq̃ scelus.
Sed potius paschæ celebremus festa quotannis
Sincera, V E R B I, cognitione, D E I.
Et castis precibus penetremus nubila regna,
Vt confortentur pectora nostra fide.
Deniq̃ ceu lumbis accinctis accubuerunt
Gens hæc & pedibus calceamenta gerunt.
Innixi baculis monstrantes sè peregrinos
Esse, uelut Moyse littera sacra docet.
Sic nos qui corpus Domini roseumq̃ cruorem
Sumimus, & bibimus non dubitante fide.
Esse viatores nos agnoscamus in orbe,
Et nos in certo dispaciare gradu.*

Qua-

Quapropter patriæ nostræ properemus ad arcem,
 Hic ubi erit tuto mansio nostra loco.
 Huius cum nobis continget portio regni,
 Afficiet nullus pectora nostra dolor.
 Quapropter Christum credamus firmiter omnes
 Ob nostrum, passum funera mæsta, scelus.
 Iusticiam propter nostram quoque morte redisse
 Tertia post tenebras cum fuit orta dies.
 Ut nos ex imæ reuocaret puluere terræ,
 Alto cum clanger buccina clara polo.
 Ac tandem celeri migremus in aëra cursu,
 Hic ubi sidereæ sunt sita regna domus.
 Semper ut ætherei cernamus & ora parentis,
 Illius & natum flamine cumq; sacro.
 Et cum spiritibus castis genijsq; piorum,
 Regnemus longos & sine fine dies.
 Ergo Nate D E I, summi patris vnica proles,
 Tertia qui surgis cum micat orta dies.
 Quia redis Sygij post diruta Tartara Ditis,
 Et nece deuicta clara trophæa refers.
 Ac nobis referas conclusi limina cæli,
 Ut credens per te scandere ad astra queat.
 Te precor ut serues cætum tuæ V E R B A professum,
 Doctoresq; peto protege C H R I S T E pios.
 Per quos saluifici sparguntur dogmata V E R B I,
 Ac verum constat religionis opus.
 Pello preceps terros diuini seminis hostes,
 Qui stupidis linguis nil nisi ficta docent.

Ac hostes

Ac hostes qui bella mouent funesta fragore,
Contere victrici maxime CHRISTE manu.
Vt uigeant artes tranquillo tempore pacis,
Communis quibus hæc vita carere nequit.
Prospice ne ledant nos duri tempora uictus,
Cum non in cultis crescit arista locis.
Fructibus ut letis nobis appareat annus,
Annue nec miseros deseruisse uelis.
Vt lata segetes magno cum fœnore crescant,
Ac æstate cadat falce resecta Ceres.
Pestiferosq; fuga nostro de corpore morbos,
Ne nobis noceat transitione lues.
Sin uerò tibi sunt contraria uota petentis,
Vt reprimas tantum te precor illud onus.
Hinc te perpetuò celebrabit nostra Thalia,
Donec in hoc uiuo corpore sanguis erit.
Et tunc cum index uenies ex arce parentis,
Omnibus ut recta præmia lance feras.
Lingua tibi quæuis persoluet uota canendo,
Vt solet angelicus te celebrare Chorus.

F I N I S.